

HORACE

EPITRES (1492 vers)

El_1 v.1 Prima dicte mihi, summa dicende Camena,
 2 spectatum satis et donatum jam rude quaeris,
 3 Maecenas, iterum antiquo me includere ludo ?
 4 Non eadem est aetas, non mens. Veianius armis
 5 Herculis ad postem fixis latet abditus agro,
 6 ne populum extrema totiens exoret harena.
 7 Est mihi purgatum crebro qui personet aurem :
 8 "Solve senescentem mature sanus equum, ne
 9 peccet ad extremum ridendus et ilia ducat."
 10 Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono,
 11 quid verum atque decens, curo et rogo et omnis in hoc sum ;
 12 condo et compono quae mox depromere possim.
 13 Ac ne forte roges quo me duce, quo Lare tuter ;
 14 nullius addictus jurare in verba magistri,
 15 quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.
 16 Nunc agilis fio et mersor civilibus undis,
 17 virtutis verae custos rigidusque satelles ;
 18 nunc in Aristippi furtim praecepta relabor
 19 et mihi res, non me rebus subjungere conor.
 20 Ut nox longa quibus mentitur amica, diesque
 21 longa videtur opus debentibus, ut piger annus
 22 pupillis quos dura premit custodia matrum,
 23 sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora quae spem
 24 consiliumque morantur agendi naviter id quod
 25 aequae pauperibus prodest, locupletibus aequae,
 26 aequae neglectum pueris senibusque nocebit.
 27 Restat ut his ego me ipse regam solerque elementis.
 28 Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
 29 non tamen idcirco contemnas lippus inungui ;
 30 nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
 31 nodosa corpus nolis prohibere cheragra.
 32 Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.
 33 Fervet avaritia miseroque cupidine pectus :
 34 sunt verba et voces quibus hunc lenire dolorem
 35 possis et magnam morbi deponere partem.
 36 Laudis amore tumes : sunt certa piacula quae te
 37 ter pure lecto poterunt recreare libello.
 38 Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
 39 nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
 40 si modo culturae patientem commodet aurem.
 41 Virtus est vitium fugere et sapientia prima
 42 stultitia caruisse. Vides, quae maxima credis
 43 esse mala, exiguum censum turpemque repulsam,
 44 quanto devites animi capitisque labore ;
 45 impiger extremos curris mercator ad Indos,
 46 per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes ;
 47 ne cures ea quae stulte miraris et optas,
 48 discere et audire et meliori credere non vis ?
 49 Quis circum pagos et circum compita pugnax
 50 magna coronari contemnat Olympia, cui spes,

51 cui sit condicio dulcis sine pulvere palmae ?
 52 Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
 53 "O cives, cives, quaerenda pecunia primum est ;
 54 virtus post nummos" : haec Janus summus ab imo
 55 prodocet, haec recinunt juvenes dictata senesque
 56 laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.
 57 Est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque,
 58 sed quadringentis sex septem milia desunt :
 59 plebs eris. At pueri ludentes : "Rex eris" aiunt,
 60 "si recte facies" : hic murus aeneus esto
 61 nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
 62 Roscia, dic sodes, melior lex an puerorum est
 63 nenia, quae regnum recte facientibus offert,
 64 et maribus Curiis et decantata Camillis ?
 65 Isne tibi melius suadet, qui "rem facias, rem,
 66 si possis, recte, si non, quocumque modo rem,"
 67 ut propius spectes lacrimosa poemata Pupi,
 68 an qui Fortunae te responsare superbae
 69 liberum et erectum praesens hortatur et aptat ?
 70 Quodsi me populus Romanus forte roget, cur
 71 non ut porticibus sic judiciis fruam isdem,
 72 nec sequar aut fugiam quae diligit ipse vel odit,
 73 olim quod volpes aegroto cauta leoni
 74 respondit, referam : "Quia me vestigia terrent,
 75 omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum."
 76 Belua multorum es capitum. Nam quid sequar aut quem ?
 77 Pars hominum gestit conducere publica ; sunt qui
 78 frustis et pomis viduas venentur avaras
 79 excipiantque senes, quos in vivaria mittant ;
 80 multis occulto crescit res fenore. Verum
 81 esto aliis alios rebus studiisque teneri :
 82 idem eadem possunt horam durare probantes ?
 83 "Nullus in orbe sinus Bais praelucet amoenis",
 84 si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
 85 festinantis eri ; cui si vitiosa libido
 86 fecerit auspiciam, cras ferramenta Teanum
 87 tolletis, fabri. Lectus genialis in aula est :
 88 nil ait esse prius, melius nil caelibe vita ;
 89 si non est, jurat bene solis esse maritis.
 90 Quo teneam voltus mutantem Protea nodo ?
 91 Quid pauper ? Ride : mutat cenacula, lectos,
 92 balnea, tonsores, conducto navigio aequae
 93 nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis.
 94 Si curatus inaequali tonsore capillos
 95 occurri, rides ; si forte subucula pexae
 96 trita subest tunicae, vel si toga dissidet impar,
 97 rides : quid, mea cum pugnat sententia secum,
 98 quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit,
 99 aestuat et vitae disconvenit ordine toto,
 100 diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis ?
 101 insanire putas sollempnia me neque rides
 102 nec medici credis nec curatoris egere
 103 a praetore dati, rerum tutela mearum
 104 cum sis et prave sectum stomacheris ob unguem
 105 de te pendentis, te respicientis amici.
 106 Ad summam : sapiens uno minor est Jove, dives,
 107 liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
 108 praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

E1_2 v.1 Trojani belli scriptorem, Maxime Lolli,
 2 dum tu declamas Romae, Praeneste relegi ;
 3 qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
 4 plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.
 5 Cur ita crediderim, nisi quid te distinet, audi.
 6 Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
 7 Graecia barbariae lento conlisa duello,
 8 stultorum regum et populorum continet aestum.
 9 Antenor censet belli praecidere causam ;
 10 quid Paris ? ut salvus regnet vivatque beatus
 11 cogi posse negat. Nestor componere litis
 12 inter Pelidem festinat et inter Atriden ;
 13 hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
 14 Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.
 15 Seditio, dolis, scelere atque libidine et ira
 16 iliacos intra muros peccatur et extra.
 17 Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
 18 utile proposuit nobis exemplar Ulixen,
 19 qui domitor Trojae multorum providus urbes,
 20 et mores hominum inspexit, latumque per aequor,
 21 dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
 22 pertulit, adversis rerum inmersabilis undis.
 23 Sirenum voces et Circae pocula nosti ;
 24 quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
 25 sub domina meretrice fuisset turpis et excors,
 26 vixisset canis inmundus vel amica luto sus.
 27 Nos numerus sumus et fruges consumere nati,
 28 sponsi Penelopae nebulones Alcinoique
 29 in cute curanda plus aequo operata juvenus,
 30 cui pulchrum fuit in medios dormire dies et
 31 ad strepitum citharae cessatum ducere curam.
 32 Ut jugulent hominem surgunt de nocte latrones ;
 33 ut te ipsum serves, non expergisceris ? atqui
 34 si noles sanus, cures hydropicus ; et ni
 35 posces ante diem librum cum lumine, si non
 36 intendes animum studiis et rebus honestis,
 37 invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
 38 quae laedunt oculum, festinas demere, siquid
 39 est animum, differs curandi tempus in annum ?
 40 Dimidium facti, qui coepit, habet ; sapere aude,
 41 incipe. Vivendi qui recte prorogat horam,
 42 rusticus expectat dum defluat amnis ; at ille
 43 labitur et labetur in omne volubilis aevum.
 44 Quaeritur argentum puerisque beata creandis
 45 uxor, et incultae pacantur vomere silvae ;
 46 quod satis est cui contingit, nil amplius optet.
 47 Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
 48 aegroto domini deduxit corpore febris,
 49 non animo curas ; valeat possessor oportet,
 50 si comportatis rebus bene cogitat uti.
 51 Qui cupit aut metuit, juvat illum sic domus et res
 52 ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram,
 53 auriculas citharae collecta sorde dolentis.
 54 Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis acescit.
 55 Sperne voluptates ; nocet empta dolore voluptas.
 56 Semper avarus eget ; certum voto pete finem.
 57 Invidus alterius macrescit rebus opimis ;

58 invidia Siculi non invenere tyranni
 59 majus tormentum. Qui non moderabitur irae,
 60 infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
 61 dum poenas odio per vim festinat inulto.
 62 Ira furor brevis est ; animum rege, qui nisi paret,
 63 imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catena.
 64 Fingit equum tenera docilem cervice magister
 65 ire viam qua monstret eques ; venaticus, ex quo
 66 tempore cervinam pellem latravit in aula,
 67 militat in silvis catulus. Nunc adbibe puro
 68 pectore verba puer, nunc te melioribus offer ;
 69 quo semel est imbuta recens, servabit odorem
 70 testa diu. Quodsi cessas aut strenuus anteis,
 71 nec tardum opperior nec praecedentibus insto.

E1_3 v.1 Juli Flore, quibus terrarum militet oris
 2 Claudius Augusti privignus, scire laboro.
 3 Thracane vos Hebrusque nivali compede vinctus,
 4 an freta vicinas inter currentia turris,
 5 an pingues Asiae campi collesque morantur ?
 6 Quid studiosa cohors operum struit ? hoc quoque curo.
 7 Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit ?
 8 bella quis et paces longum diffundit in aevum ?
 9 quid Titius, Romana brevi venturus in ora,
 10 Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
 11 fastidire lacus et rivos ausus apertos ?
 12 ut valet ? ut meminit nostri ? fidibusne Latinis
 13 Thebanos aptare modos studet auspice Musa,
 14 an tragica desaevit et ampullatur in arte ?
 15 Quid mihi Celsus agit ? monitus multumque monendus,
 16 privatas ut quaeret opes et tangere vitet
 17 scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo,
 18 ne, si forte suas repetitum venerit olim
 19 grex avium plumas, moveat cornicula risum
 20 furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes ?
 21 Quae circumvolitas agilis thyma ? non tibi parvom
 22 ingenium, non incultum est et turpiter hirtum ;
 23 seu linguam causis acuis seu civica jura
 24 respondere paras seu condis amabile carmen,
 25 prima ferēs hederæ victricis praemia. Quod si
 26 frigida curarum fomenta relinquere posses,
 27 quo te caelestis sapientia duceret, ires.
 28 Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
 29 si patriae volumus, si nobis vivere cari.
 30 Debes hoc etiam rescribere, sit tibi curae
 31 quantae conveniat Munatius ? An male sarta
 32 gratia nequiquam coit et rescinditur, ac vos
 33 seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat
 34 indomita cervice feros ? Ubicumque locorum
 35 vivitis, indigni fraternum rumpere foedus,
 36 pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

E1_4 v.1 Albi, nostrorum sermonum candide iudex,
 2 quid nunc te dicam facere in regione Pedana ?
 3 Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat,
 4 an tacitum silvas inter reptare salubris,
 5 curantem quicquid dignum sapiente bonoque est ?
 6 Non tu corpus eras sine pectore ; di tibi formam,

- 7 di tibi divitias dederunt artemque fruendi.
8 Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
9 qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui
10 gratia, fama, valetudo contingat abunde,
11 et mundus victus non deficiente crumina ?
12 Inter spem curamque, timores inter et iras
13 omnem crede diem tibi diluxisse supremum ;
14 grata superveniet quae non sperabitur hora.
15 Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,
16 cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.
- E1_5 v.1 Si potes Archiacis conviva recumbere lectis
2 nec modica cenare times holus omne patella,
3 supremo te sole domi, Torquate, manebo.
4 Vina bibes iterum Tauro diffusa palustris
5 inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.
6 Si melius quid habes, arcesse vel imperium fer.
7 Jamdudum splendet focus et tibi munda supellex.
8 Mitte levis spes et certamina divitiarum
9 et Moschi causam ; cras nato Caesare festus
10 dat veniam somnumque dies ; impune licebit
11 aestivam sermone benigno tendere noctem.
12 Quo mihi fortunam, si non conceditur uti ?
13 Parcus ob heredis curam nimiumque severus
14 adsidet insano ; potare et spargere flores
15 incipiam patiarque vel inconsultus haberi.
16 Quid non ebrietas dissignat ? operta recludit,
17 spes jubet esse ratas, ad proelia trudit inertem,
18 sollicitis animis onus eximit, addocet artis.
19 Fecundi calices quem non fecere disertum,
20 contracta quem non in paupertate solutum ?
21 Haec ego procurare et idoneus imperor et non
22 invitus, ne turpe toral, ne sordida mappa
23 conruget naris, ne non et cantharus et lanx
24 ostendat tibi te, ne fidos inter amicos
25 sit qui dicta foras eliminat, ut coeat par
26 jungaturque pari. Butram tibi Septiciumque,
27 et nisi cena prior potiorque puella Sabinum
28 detinet, adsumam. Locus est et pluribus umbris,
29 sed nimis arta premunt olidae conviviae caprae.
30 Tu quotus esse velis rescribe, et rebus omissis
31 atria servantem postico falle clientem.
- E1_6 v.1 Nil admirari prope res est una, Numici,
2 solaque quae possit facere et servare beatum.
3 Hunc solem et stellas et decedentia certis
4 tempora momentis sunt qui formidine nulla
5 imbuti spectent. Quid censes munera terrae,
6 quid maris extremos Arabas ditantis et Indos ?
7 ludicra quid, plausus et amici dona Quiritis ?
8 quo spectanda modo, quo sensu credis et ore ?
9 Qui timet his adversa, fere miratur eodem
10 quo cupiens pacto ; pavor est utrubique molestus,
11 improvisa simul species exterret utrumque.
12 Gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem,
13 si, quicquid vidit melius pejusve sua spe,
14 defixis oculis animoque et corpore torpet ?
15 Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,

16 ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.
 17 I nunc, argentum et marmor vetus aeraque et artis
 18 suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores ;
 19 gaude quod spectant oculi te mille loquentem ;
 20 navos mane forum et vespertinus pete tectum,
 21 ne plus frumenti dotalibus emetat agris
 22 Mutus et (indignum, quod sit pejoribus ortus)
 23 hic tibi sit potius quam tu mirabilis illi.
 24 Quicquid sub terra est, in apricum proferet aetas,
 25 defodiet condetque nitentia. Cum bene notum
 26 porticus Agrippae et via te conspexerit Appi,
 27 ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.
 28 Si latus aut renes morbo temptantur acuto,
 29 quaere fugam morbi. Vis recte vivere (quis non ?) :
 30 si virtus hoc una potest dare, fortis omissis
 31 hoc age deliciis. Virtutem verba putas et
 32 lucum ligna : cave ne portus occupet alter,
 33 ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas ;
 34 mille talenta rotudentur, totidem altera, porro et
 35 tertia succedant et quae pars quadrat acervum.
 36 Scilicet uxorem cum dote fidemque et amicos
 37 et genus et formam regina Pecunia donat,
 38 ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.
 39 Mancupiis locuples eget aeris Cappadocum rex ;
 40 ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, ut aiunt,
 41 si posset centum scaenae praebere rogatus,
 42 "Qui possum tot ? " ait ; "tamen et quaeram et quot habebō
 43 mittam" ; post paulo scribit sibi milia quinque
 44 esse domi chlamydum ; partem vel tolleret omnis.
 45 Exilis domus est, ubi non et multa supersunt
 46 et dominum fallunt et prosunt furibus. Ergo
 47 si res sola potest facere et servare beatum,
 48 hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
 49 Si fortunatum species et gratia praestat,
 50 mercemur servum, qui dictet nomina, laevum
 51 qui fodicet latus et cogat trans pondera dextram
 52 porrigere : "Hic multum in Fabia valet, ille Velina ;
 53 cui libet his fascis dabit eripietque curule
 54 cui volet inportunus ebur. "Frater", "Pater" adde ;
 55 ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.
 56 Si bene qui cenat bene vivit, lucet, eamus
 57 quo ducit gula, piscemur, venemur, ut olim
 58 Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos
 59 differtum transire forum populumque jubebat,
 60 unus ut e multis populo spectante referret
 61 emptum mulus aprum. Crudi tumidique lavemur,
 62 quid deceat, quid non obliti, Caerite cera
 63 digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulixei,
 64 cui potior patria fuit interdicta voluptas.
 65 Si, Mimnermus uti censet, sine amore josisque
 66 nil est jucundum, vivas in amore josisque.
 67 Vive, vale. Siquid novisti rectius istis,
 68 candidus inperti ; si nil, his utere mecum.

E1_7 v.1 Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
 2 sextilem totum mendax desideror. Atqui,
 3 si me vivere vis sanum recteque valentem,
 4 quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,

5 Maecenas, veniam, dum ficus prima calorque
 6 dissignatorem decorat lictoribus atris,
 7 dum pueris omnis pater et matercula pallet.
 8 Officiosaque sedulitas et opella forensis
 9 adducit febris et testamenta resignat.
 10 Quodsi bruma nives Albanis inlinet agris,
 11 ad mare descendet vates tuus et sibi parcat
 12 contractusque leget ; te, dulcis amice, reviset
 13 cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
 14 Non quo more piris vesci Calaber jubet hospes
 15 tu me fecisti locupletem. "Vescere, sodes.-
 16 Jam satis est. - At tu, quantum vis, tolle. - Benigne.-
 17 Non invisa feres pueris munuscula parvis.-
 18 Tam teneor dono quam si dimittar onustus.-
 19 Ut libet ; haec porcis hodie comedenda relinques."
 20 Prodigus et stultus donat quae spernit et odit ;
 21 haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis.
 22 Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus,
 23 nec tamen ignorat quid distent aera lupinis ;
 24 dignum praestabo me etiam pro laude merentis.
 25 Quodsi me noles usquam discedere, reddes
 26 forte latus, nigros angusta fronte capillos,
 27 reddes dulce loqui, reddes ridere decorum et
 28 inter vina fugam Cinarae maerere protervae.
 29 Forte per angustam tenuis volpecula rimam
 30 repserat in cumeram frumenti, pastaque rursus
 31 ire foras pleno tendebat corpore frustra ;
 32 cui mustela procul : "Si vis" ait "effugere istinc,
 33 macra cavum repetes artum, quem macra subisti."
 34 Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno ;
 35 nec somnum plebis laudo satur altilium nec
 36 otia divitiis Arabum liberrima muto.
 37 Saepe verecundum laudasti rexque paterque
 38 audisti coram nec verbo parcius absens ;
 39 inspice si possum donata reponere laetus.
 40 Haud male Telemachus, proles patientis Ulixei :
 41 "Non est aptus equis Ithace locus, ut neque planis
 42 porrectus spatiis nec multae prodigus herbae ;
 43 Atride, magis apta tibi tua dona relinquam."
 44 Parvum parva decent ; mihi jam non regia Roma,
 45 sed vacuum Tibur placet aut inbelle Tarentum.
 46 Strenuus et fortis causisque Philippus agendis
 47 clarus, ab officiis octavam circiter horam
 48 dum redit atque foro nimium distare Carinas
 49 jam grandis natu queritur, conspexit, ut aiunt,
 50 adrasum quendam vacua tonsoris in umbra
 51 cultello proprios purgantem leniter unguis.
 52 "Demetri," (puer hic non laeve jussa Philippi
 53 accipiebat) "abi, quaere et refer, unde domo, quis,
 54 cujus fortunae, quo sit patre quove patrono."
 55 It, redit et narrat Volteium nomine Menam,
 56 praeconem, tenui censu, sine crimine, notum
 57 et properare loco et cessare, et quaerere et uti,
 58 gaudentem parvisque sodalibus et lare certo
 59 et ludis et post decisa negotia Campo.
 60 "Scitari libet ex ipso quodcumque refers ; dic
 61 ad cenam veniat." Non sane credere Mena,
 62 mirari secum tacitus. Quid multa ? "Benigne,"

63 respondet. "Neget ille mihi ? - Negat improbus et te
 64 negligit aut horret." Volteium mane Philippus
 65 vilia vendentem tunicato scruta popello
 66 occupat et salvere iubet prior ; ille Philippo
 67 excusare laborem et mercennaria vincla,
 68 quod non mane domum venisset, denique quod non
 69 providisset eum. "Sic ignovisse putato
 70 me tibi, si cenas hodie mecum. - Ut libet. - Ergo
 71 post nonam venies ; nunc i, rem strenuus auge."
 72 Ut ventum ad cenam est, dicenda tacenda locutus
 73 tandem dormitum dimittitur. Hic ubi saepe
 74 occultum visus decurrere piscis ad hamum,
 75 mane cliens et jam certus conviva, iubetur
 76 rura suburbana indictis comes ire Latinis.
 77 Impositus mannis arvum caelumque Sabinum
 78 non cessat laudare. Videt ridetque Philippus,
 79 et sibi dum requiem, dum risus undique quaerit,
 80 dum septem donat sestertia, mutua septem
 81 promittit, persuadet uti mercetur agellum.
 82 Mercatur. Ne te longis ambagibus ultra
 83 quam satis est morer, ex nitido fit rusticus atque
 84 sulcos et vineta crepat mera, praeparat ulmos,
 85 inmoritur studiis et amore senescit habendi.
 86 Verum ubi oves furto, morbo periere capellae,
 87 spem mentita seges, bos est enectus arando,
 88 offensus damnis media de nocte caballum
 89 arripit iratusque Philippi tendit ad aedis.
 90 Quem simul aspexit scabrum intonsumque Philippus :
 91 "Durus" ait, "Voltei, nimis attentusque videris
 92 esse mihi. - Pol, me miserum, patrone, vocares,
 93 si velles" inquit "verum mihi ponere nomen.
 94 Quod te per Genium dextramque deosque Penatis
 95 obsecro et obtestor, vitae me redde priori."
 96 Qui semel aspexit quantum dimissa petitis
 97 praestent, mature redeat repetatque relicta.
 98 Metiri se quemque suo modulo ad pede verum est.

E1_8 v.1 Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano
 2 Musa rogata refer, comiti scribaeque Neronis.
 3 Si quaeret quid agam, dic multa et pulchra minantem
 4 vivere nec recte nec suaviter, haud quia grando
 5 contuderit vitis oleamque momorderit aestus,
 6 nec quia longinquis armentum aegrotet in agris,
 7 sed quia mente minus validus quam corpore toto
 8 nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum,
 9 fidis offendar medicis, irascar amicis,
 10 cur me funesto properent arcere veterno,
 11 quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam,
 12 Romae Tibur amem, ventosus Tibure Romam.
 13 Post haec, ut valeat, quo pacto rem gerat et se,
 14 ut placeat juveni, percontare, utque cohorti.
 15 Si dicet "recte", primum gaudere, subinde
 16 praeceptum auriculis hoc instillare memento :
 17 "Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus."

E1_9 v.1 Septimius, Claudii, nimirum intellegit unus,
 2 quanti me facias ; nam cum rogat et prece cogit,
 3 scilicet ut tibi se laudare et tradere coner,

4 dignum mente domoque legentis honesta Neronis,
 5 munere cum fungi propioris censet amici,
 6 quid possim videt ac novit me valdius ipso.
 7 Multa quidem dixi cur excusatus abirem,
 8 sed timui mea ne finxisse minora putarer,
 9 dissimulator opis propriae, mihi commodus uni.
 10 Sic ego, majoris fugiens opprobria culpae,
 11 frontis ad urbanae descendi praemia. Quodsi
 12 depositum laudas ob amici jussa pudorem,
 13 scribe tui gregis hunc et fortem crede bonumque.

E1_10 v.1 Urbis amatorem Fuscum salvere jubemus
 2 ruris amatores, hac in re scilicet una
 3 multum dissimiles, ad cetera paene gemelli
 4 fraternis animis, quicquid negat alter, et alter,
 5 adnuimus pariter, vetuli notique columbi.
 6 Tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni
 7 rivos et musco circumlita saxa nemusque.
 8 Quid quaeris ? vivo et regno, simul ista reliqui
 9 quae vos ad caelum fertis rumore secundo,
 10 utque sacerdotis fugitivus liba recuso,
 11 pane egeo jam mellitis potiore placentis.
 12 Vivere naturae si convenienter oportet,
 13 ponendaeque domo quaerenda est area primum,
 14 novistine locum potiolem rure beato ?
 15 est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura
 16 leniat et rabiem Canis et momenta Leonis,
 17 cum semel accepit Solem furibundus acutum ?
 18 Est ubi divellat somnos minus invida cura ?
 19 Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis ?
 20 Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum
 21 quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum ?
 22 Nempe inter varias nutritur silva columnas,
 23 laudaturque domus longos quae prospicit agros.
 24 Naturam expelles furca, tamen usque recurret
 25 et mala perrumpet furtim fastidia victrix.
 26 Non qui Sidonio contendere callidus ostro
 27 nescit Aquinatem potantia vellera fucum
 28 certius accipiet damnum propiusve medullis
 29 quam qui non poterit vero distinguere falsum.
 30 Quem res plus nimio delectavere secundae,
 31 mutatae quatient. Siquid mirabere, pones
 32 invitus. Fuge magna ; licet sub paupere tecto
 33 reges et regum vita praecurrere amicos.
 34 Cervus equum pugna melior communibus herbis
 35 pellebat, donec minor in certamine longo
 36 imploravit opes hominis frenumque recepit ;
 37 sed postquam victor violens discessit ab hoste,
 38 non equitem dorso, non frenum depulit ore.
 39 Sic, qui pauperiem veritus potiore metallis
 40 libertate caret, dominum vehet improbus atque
 41 serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.
 42 Cui non conveniet sua res, ut calceus olim
 43 si pede major erit, subvertet, si minor, uret.
 44 Laetus sorte tua vives sapienter, Aristi,
 45 nec me dimittes incastigatum, ubi plura
 46 cogere quam satis est ac non cessare videbor.
 47 Imperat aut servit collecta pecunia cuique,

48 tortum digna sequi potius quam ducere funem.
 49 Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae,
 50 excepto quod non simul esses cetera laetus.

E1_11 v.1 Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos,
 2 quid concinna Samos, quid Croesi regia Sardis,
 3 Zmyrna quid et Colophon ? Majora minorave fama,
 4 cunctane prae Campo et Tiberino flumine sordent ?
 5 An venit in votum Attalicis ex urbibus una ?
 6 An Lebedum laudas odio maris atque viarum ?
 7 Scis Lebedus quid sit : Gabiis desertior atque
 8 fidenis vicus ; tamen illic vivere vellem,
 9 oblitusque meorum, obliviscendus et illis,
 10 neptunum procul e terra spectare furentem.
 11 Sed neque qui Capua Romam petit, imbre lutoque
 12 aspersus volet in caupona vivere ; nec qui
 13 frigus collegit, furnos et balnea laudat
 14 ut fortunatam plene praestantia vitam ;
 15 nec si te validus jactaverit Auster in alto,
 16 idcirco navem trans Aegaeum mare vendas.
 17 Incolumi Rhodos et Mytilene pulchra facit quod
 18 paenula solstitio, campestre nivalibus auris,
 19 per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.
 20 Dum licet ac voltum servat Fortuna benignum,
 21 Romae laudetur Samos et Chios et Rhodos absens.
 22 Tu quamcumque deus tibi fortunaverit horam
 23 grata sume manu neu dulcia differ in annum,
 24 ut quocumque loco fueris vixisse libenter
 25 te dicas ; nam si ratio et prudentia curas,
 26 non locus effusi late maris arbiter aufert,
 27 caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
 28 Strenua non exercet inertia ; navibus atque
 29 quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic est,
 30 est Ulubris, animus si te non deficit aequus.

E1_12 v.1 Fructibus Agrippae Siculis quos colligis, Icci,
 2 si recte frueris, non est ut copia major
 3 ab Jove donari possit tibi ; tolle querellas ;
 4 pauper enim non est cui rerum suppetit usus.
 5 Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil
 6 divitiae poterunt regales addere majus.
 7 Si forte in medio positorum abstemius herbis
 8 vivis et urtica, sic vives protinus, ut te
 9 confestim liquidus Fortunae rivus inauret,
 10 vel quia naturam mutare pecunia nescit
 11 vel quia cuncta putas una virtute minora.
 12 Miramur, si Democriti pecus edit agellos
 13 cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox,
 14 cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri
 15 nil parvum sapias et adhuc sublimia cures ;
 16 quae mare compescant causae, quid temperet annum,
 17 stellae sponte sua jussaene vagentur et errent,
 18 quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem,
 19 quid velit et possit rerum concordia discors,
 20 Empedocles an Stertinium deliret acumen ?
 21 Verum, seu piscis seu porrum et caepe trucidas,
 22 utere Pompeio Grospho et, siquid petet, ultro
 23 defer ; nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.

- 24 Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid dest.
 25 Ne tamen ignores quo sit Romana loco res,
 26 Cantaber Agrippae, Claudii virtute Neronis
 27 Armenius cecidit ; jus imperiumque Phraates
 28 Caesaris accepit genibus minor ; aurea fruges
 29 Italiae pleno defundit Copia cornu.
- E1_13 v.1 Ut proficiscentem docui te saepe diuque,
 2 Augusto reddes signata volumina, Vinni,
 3 si validus, si laetus erit, si denique poscet ;
 4 ne studio nostri pecces odiumque libellis
 5 sedulus inportes opera vehemente minister.
 6 Si te forte meae gravis uret sarcina chartae,
 7 abicito potius quam quo perferre juberis
 8 clitellas ferus inpingas Asinaeque paternum
 9 cognomen vertas in risum et fabula fias.
 10 Viribus uteris per clivos, flumina, lamas.
 11 Victor propositi simul ac perveneris illuc,
 12 sic positum servabis onus, ne forte sub ala
 13 fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,
 14 ut vinosa glomus furtivae Pyrria lanae,
 15 ut cum pilleolo soleas conviva tribulis.
 16 Ne volgo narres te sudavisse ferendo
 17 carmina quae possint oculos aurisque morari
 18 Caesaris ; oratus multa prece, nitere porro.
 19 Vade, vale, cave ne titubes mandataque frangas.
- E1_14 v.1 Vilice silvarum et mihi me reddentis agelli,
 2 quem tu fastidis habitatum quinque focis et
 3 quinque bonos solitum Variam dimittere patres,
 4 certemus spinas animone ego fortius an tu
 5 evellas agro, et melior sit Horatius an res.
 6 Me quamvis Lamiae pietas et cura moratur,
 7 fratrem maerentis, rapto de fratre dolentis
 8 insolabiliter, tamen istuc mens animusque
 9 fert et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
 10 Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum ;
 11 cui placet alterius, sua nimirum est odio sors,
 12 stultus uterque locum inmeritum causatur inique ;
 13 in culpa est animus, qui se non effugit umquam.
 14 Tu mediastinus tacita prece rura petebas,
 15 nunc urbem et ludos et balnea vilicus optas ;
 16 me constare mihi scis et discedere tristem,
 17 quandocumque trahunt invisita negotia Romam.
 18 Non eadem miramur ; eo disconvenit inter
 19 meque et te ; nam quae deserta et inhospita tesqua
 20 credis, amoena vocat mecum qui sentit, et odit
 21 quae te pulchra putas. Fornix tibi et uncta popina
 22 incutiunt urbis desiderium, video, et quod
 23 angulus iste feret piper et tus ocuus uva,
 24 nec vicina subest vinum praebere taberna
 25 quae possit tibi, nec meretrix tibicina, cujus
 26 ad strepitum salias terrae gravis ; et tamen urges
 27 jampridem non tacta ligonibus arva bovemque
 28 disjunctum curas et strictis frondibus explēs ;
 29 addit opus pigro rivus, si decidit imber,
 30 multa mole docendus aprico parcere prato.
 31 Nunc age, quid nostrum concentum dividat, audi.

32 Quem tenues decuere togae nitidique capilli,
 33 quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci,
 34 quem bibulum liquidi media de luce Falerni,
 35 cena brevis juvat et prope rivum somnus in herba ;
 36 nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
 37 Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
 38 limat, non odio obscuro morsuque venenat ;
 39 rident vicini glaebas et saxa moventem.
 40 Cum servis urbana diaria rodere mavis ;
 41 horum tu in numerum voto ruis, invidet usum
 42 lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.
 43 Optat ephippia bos piger, optat arare caballus ;
 44 quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

E1_15 v.1 Quae sit hiems Veliae, quod caelum, Vala, Salerni,
 2 quorum hominum regio et qualis via (nam mihi Baias
 3 Musa supervacuas Antonius, et tamen illis
 4 me facit invisum, gelida cum perluor unda
 5 per medium frigus ; sane murteta relinqui
 6 dictaque cessantem nervis elidere morbum
 7 sulphura contemni vicus gemit, invidus aegris
 8 qui caput et stomachum supponere fontibus audent
 9 Clusinis Gabiosque petunt et frigida rura.
 10 Mutandus locus est et deversoria nota
 11 praeteragendus equus. "Quo tendis ? non mihi Cumas
 12 est iter aut Baias", laeva stomachosus habena
 13 dicet eques ; sed equi frenato est auris in ore) ;
 14 major utrum populum frumenti copia pascat,
 15 collectosne bibant imbres puteosne perennis
 16 jugis aquae (nam vina nihil moror illius orae ;
 17 rure meo possum quidvis perferre patique ;
 18 ad mare cum veni, generosum et lene requiro,
 19 quod curas abigat, quod cum spe divite manet
 20 in venas animumque meum, quod verba ministret,
 21 quod me Lucanae juvenem commendet amicae) ;
 22 tractus uter pluris lepores, uter educet apros,
 23 ultra magis piscis et echinos aequora celent,
 24 pinguis ut inde domum possim Phaeaxque reverti,
 25 scribere te nobis, tibi nos adcredere par est.
 26 Maenius, ut rebus maternis atque paternis
 27 fortiter absumptis urbanus coepit haberi
 28 scurra, vagus non qui certum praesepe teneret,
 29 inpransus non qui civem dinosceret hoste,
 30 quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus,
 31 pernicies et tempestas barathrumque macelli,
 32 quicquid quaesierat, ventri donabat avaro.
 33 Hic ubi nequitiae fautoribus et timidis nil
 34 aut paulum abstulerat, patinas cenabat omasi,
 35 vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset,
 36 scilicet ut ventres lamna candente nepotum
 37 diceret urendos correctus Bestius. Idem,
 38 quicquid erat nactus praedae majoris, ubi omne
 39 verterat in fumum et cinerem : "Non hercule miror",
 40 aiebat, "si qui comedunt bona, cum sit obeso
 41 nil melius turdo, nil volva pulchrius ampla".
 42 Nimirum hic ego sum ; nam tuta et parvola laudo,
 43 cum res deficiunt, satis inter vilia fortis ;
 44 verum ubi quid melius contingit et unctius, idem

45 vos sapere et solos aio bene vivere, quorum
46 conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

E1_16 v.1 Ne perconteris, fundus meus, optime Quincti,
2 arvo pascat erum an bacis opulentet olivae,
3 pomisne et pratis an amicta vitibus ulmo,
4 scribetur tibi forma loquaciter et situs agri.
5 Continui montes, ni dissocientur opaca
6 valle, sed ut veniens dextrum latus aspiciat sol,
7 laevum discedens curru fugiente vaporet.
8 Temperiem laudes. Quid, si rubicunda benigni
9 corna vepres et pruna ferant, si quercus et ilex
10 multa fruge pecus, multa dominum juvet umbra ?
11 Dicas adductum propius frondere Tarentum.
12 Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
13 frigidior Thraecam nec purior ambiat Hebrus,
14 infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
15 Hae latebrae dulces et, jam si credis, amoenae
16 incolumem tibi me praestant septembribus horis.
17 Tu recte vivis, si curas esse quod audis.
18 Jactamus jampridem omnis te Roma beatum ;
19 sed vereor, ne cui de te plus quam tibi credas
20 neve putes alium sapiente bonoque beatum,
21 neu, si te populus sanum recteque valentem
22 dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
23 dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.
24 Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
25 Siquis bella tibi terra pugnata marique
26 dicat et his verbis vacuas permulceat auris :
27 "Tene magis salvum populus velit an populum tu,
28 servet in ambiguo qui consulit et tibi et urbi
29 juppiter", Augusti laudes adgnoscerere possis ;
30 cum pateris sapiens emendatusque vocari,
31 respondesne tuo, dic sodes, nomine ? "Nempe
32 vir bonus et prudens dici delector ego ac tu."
33 Qui dedit hoc hodie, cras si volet auferet, ut, si
34 detulerit fasces indigno, detrahet idem.
35 Pone, meum est," inquit ; pono tristisque recedo.
36 Idem si clamet furem, neget esse pudicum,
37 contendat laqueo collum pressisse paternum,
38 mordear opprobriis falsis mutemque colores ?
39 Falsus honor juvat et mendax infamia terret
40 quem nisi mendosum et medicandum ? Vir bonus est quis ?
41 "Qui consulta patrum, qui leges juraque servat,
42 quo multae magnaeeque secantur iudice lites,
43 quo res sponsore et quo causae teste tenentur."
44 Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
45 introrsum turpem, speciosum pelle decora.
46 "Nec furtum feci nec fugi," si mihi dicat
47 servus : "Habes pretium, loris non ureris", aio.
48 "Non hominem occidi. - Non pasces in cruce corvos.
49 - Sum bonus et frugi." Renuit negitatque Sabellus.
50 Cautus enim metuit foveam lupus accipiterque
51 suspectos laqueos et opertum miluus hamum.
52 Oderunt peccare boni virtutis amore ;
53 tu nihil admittes in te formidine poenae ;
54 sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.
55 Nam de mille fabae modiis cum subripis unum,

56 damnum est, non facinus mihi pacto lenius isto.
 57 Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
 58 quandocumque deos vel porco vel bove placat :
 59 "Jane pater ! " clare, clare cum dixit : " Apollo ! "
 60 labra movet, metuens audiri : "Pulchra Laverna,
 61 da mihi fallere, da justo sanctoque videri,
 62 noctem peccatis et fraudibus obice nubem."
 63 Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
 64 in triviis fixum cum se demittit ob assem,
 65 non video ; nam qui cupiet, metuet quoque, porro
 66 qui metuens vivet, liber mihi non erit umquam.
 67 Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
 68 semper in augenda festinat et obruitur re.
 69 Vendere cum possis captivum, occidere noli ;
 70 serviet utiliter ; sine pascat durus aretque,
 71 naviget ac mediis hiemet mercator in undis,
 72 annonae prosit, portet frumenta penusque.
 73 Vir bonus et sapiens audebit dicere : "Pentheu,
 74 rector Thebarum, quid me perferre patique
 75 indignum coges ? - Adimam bona. - Nempe pecus, rem,
 76 lectos, argentum ; tollas licet. - In manicis et
 77 compedibus saevo te sub custode tenebo.-
 78 Ipse deus, simul atque volam, me solvet." Opinor,
 79 hoc sentit : "Moriar". Mors ultima linea rerum est.

E1_17 v.1 Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis et scis,
 2 quo tandem pacto deceat majoribus uti,
 3 disce, docendus adhuc quae censet amicus, ut si
 4 caecus iter monstrare velit ; tamen aspice, siquid
 5 et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.
 6 Si te grata quies et primam somnus in horam
 7 delectat, si te pulvis strepitusque rotarum,
 8 si laedit caupona, Ferentinum ire jubebo ;
 9 nam neque divitibus contingunt gaudia solis,
 10 nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.
 11 Si prodesse tuis pauloque benignius ipsum
 12 te tractare voles, accedes siccus ad unctum.
 13 "Si pranderet holus patienter, regibus uti,
 14 nollet Aristippus. - Si sciret regibus uti,
 15 fastidiret holus qui me notat." Utrius horum
 16 verba probes et facta, doce, vel junior audi
 17 cur sit Aristippi potior sententia. Namque
 18 mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt :
 19 "Scurror ego ipse mihi, populo tu ; rectius hoc et
 20 splendidius multo est. Equus ut me portet, alat rex,
 21 officium facio ; tu poscis vilia, verum
 22 dante minor, quamvis fers te nullius egentem."
 23 Omnis Aristippum decuit color et status et res,
 24 temptantem majora fere, praesentibus aequum,
 25 contra, quem duplici panno patientia velat,
 26 mirabor, vitae via si conversa decebit.
 27 Alter purpureum non expectabit amictum ;
 28 quidlibet indutus celeberrima per loca vadet
 29 personamque feret, non inconcinuus utramque ;
 30 alter Miletii textam cane pejus et angui
 31 vitabit chlamydem, morietur frigore, si non
 32 rettuleris pannum ; refer et sine vivat ineptus.
 33 Res gerere et captos ostendere civibus hostis

34 attingit solium Jovis et caelestia temptat ;
 35 principibus placuisse viris non ultima laus est.
 36 Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
 37 Sedit qui timuit ne non succederet ; esto ;
 38 quid ? qui pervenit, fecitne viriliter ? atqui
 39 hic est aut nusquam quod quaerimus. Hic onus horret,
 40 ut parvis animis et parvo corpore majus ;
 41 hic subit et perfert. Aut virtus nomen inane est,
 42 aut decus et pretium recte petit experiens vir.
 43 Coram rege suo de paupertate tacentes
 44 plus poscente ferent ; distat, sumasne pudenter
 45 an rapias ; atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
 46 "Indotata mihi soror est, paupercola mater,
 47 et fundus nec vendibilis nec pascere firmus",
 48 qui dicit, clamat : "Victum date ! " ; succinit alter :
 49 "Et mihi" ; dividuo findetur munere quadra.
 50 Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
 51 plus dapis et rixae multo minus invidiaeque.
 52 Brundisium comes aut Surrentum ductus amoenum
 53 qui queritur salebras et acerbum frigus et imbres,
 54 aut cistam effractam et subducta viatica plorat,
 55 nota refert meretricis acumina, saepe catellam,
 56 saepe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox
 57 nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
 58 Nec semel inrisus triviis attollere curat
 59 fracto crure planum, licet illi plurima manet
 60 lacrima, per sanctum juratus dicat Osirim :
 61 "Credite, non ludo ; crudeles, tollite claudum."
 62 "Quaere peregrinum", vicinia rauca reclamat.

E1_18 v.1 Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
 2 scurrantis speciem praebere, professus amicum.
 3 Ut matrona meretrici dispar erit atque
 4 discolor, infido scurrae distabit amicus.
 5 Est huic diversum vitio vitium prope majus,
 6 asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
 7 quae se commendat tonsa cute, dentibus atris,
 8 dum volt libertas dici mera veraque virtus.
 9 Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum.
 10 Alter in obsequium plus aequo pronus et imi
 11 derisor lecti sic nutum divitis horret,
 12 sic iterat voces et verba cadentia tollit,
 13 ut puerum saevo credas dictata magistro
 14 reddere vel partis mimum tractare secundas ;
 15 alter rixatur de lana saepe caprina,
 16 propugnat nugis armatus : "Scilicet, ut non
 17 sit mihi prima fides et, vere quod placet, ut non
 18 acriter elatrem ? Pretium aetas altera sordet."
 19 Ambigitur quid enim ? Castor sciat an Docilis plus,
 20 Brundisium Minuci melius via ducat an Appi.
 21 Quem damnosa Venus, quem praeceps alea nudat,
 22 gloria quem supra vires et vestit et unguis,
 23 quem tenet argenti sitis inportuna famesque,
 24 quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus,
 25 saepe decem vitiis instructior, odit et horret,
 26 aut, si non odit, regit ac veluti pia mater
 27 plus quam se sapere et virtutibus esse priorem
 28 volt et ait prope vera : "Meae (contendere noli)

29 stultitiam patiuntur opes ; tibi parvola res est ;
30 arta decet sanum comitem toga ; desine mecum
31 certare." Eutrapelus cuicumque nocere volebat
32 vestimenta dabat pretiosa ; beatus enim jam
33 cum pulchris tunicis sumet nova consilia et spes,
34 dormiet in lucem, scorto postponet honestum
35 officium, nummos alienos pascet, ad imum
36 Thraex erit aut holitoris aget mercede caballum.
37 Arcanum neque tu scrutaberis illius umquam,
38 commissumque teges et vino tortus et ira ;
39 nec tua laudabis studia aut aliena reprendes,
40 nec, cum venari volet ille, poemata panges.
41 Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
42 Zethi dissiluit, donec suspecta severo
43 conticuit lyra. Fraternalis cessisse putatur
44 moribus Amphion ; tu cede potentis amici
45 lenibus imperiis, quotiensque educet in agros
46 Aetolis onerata plagis jumenta canesque,
47 surge et inhumanae senium depone Camenae,
48 cenes ut pariter pulmenta laboribus empta ;
49 Romanis sollemne viris opus, utile famae
50 vitaeque et membris, praesertim cum valeas et
51 vel cursu superare canem vel viribus aprum
52 possis. Adde, virilia quod speciosius arma
53 non est qui tractet ; scis quo clamore coronae
54 proelia sustineas campestris. Denique saevam
55 militiam puer et Cantabrica bella tulisti
56 sub duce qui templis Parthorum signa refigit
57 nunc et, siquid abest, Italis adjudicat armis.
58 Ac ne te retrahas et inexcusabilis absis,
59 quamvis nil extra numerum fecisse modumque
60 curas, interdum nugaris rure paterno :
61 partitur lintres exercitus, Actia pugna
62 te duce per pueros hostili more refertur ;
63 adversarius est frater, lacus Hadria, donec
64 alterutrum velox Victoria fronde coronet.
65 Consentire suis studiis qui crediderit te,
66 fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
67 Protinus ut moneam, siquid monitoris eges tu,
68 quid de quoque viro et cui dicas, saepe videto.
69 Percontatorem fugito ; nam garrulus idem est,
70 nec retinent patulae commissa fideliter aures,
71 et semel emissum volat inrevocabile verbum.
72 Non ancilla tuum jecur ulceret ulla puerve
73 intra marmoreum venerandi limen amici,
74 ne dominus pueri pulchri caraeve puellae
75 munere te parvo beet aut incommodus angat.
76 Qualem commendes, etiam atque etiam aspice, ne mox
77 incutiant aliena tibi peccata pudorem.
78 Fallimur et quondam non dignum tradimus ; ergo
79 quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri,
80 ut penitus notum, si temptent crimina, serves
81 tuterisque tuo fidentem praesidio ; qui
82 dente Theonino cum circumroditur, ecquid
83 ad te post paulo ventura pericula sentis ?
84 Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
85 et neglecta solent incendia sumere vires.
86 Dulcia inexpertis cultura potentis amici ;

87 expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto est,
 88 hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
 89 Oderunt hilarem tristes tristemque jocosi,
 90 sedatum celeres, agilem navumque remissi ;
 91 [Lacune]
 92 oderunt porrecta negantem pocula, quamvis
 93 nocturnos jures te formidare tepores ;
 94 deme supercilio nubem ; plerumque modestus
 95 occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
 96 Inter cuncta leges et percontabere doctos,
 97 qua ratione queas traducere leniter aevum,
 98 num te semper inops agitet vexetque cupido,
 99 num pavor et rerum mediocriter utilium spes,
 100 virtutem doctrina paret naturane donet,
 101 quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum,
 102 quid pure tranquillet, honos an dulce lucellum,
 103 an secretum iter et fallentis semita vitae.
 104 Me quotiens reficit gelidus Digentia rivus,
 105 quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus
 106 quid sentire putas, quid credis, amice, precari ?
 107 "Sit mihi quod nunc est, etiam minus, et mihi vivam
 108 quod superest aevi, siquid superesse volunt di ;
 109 sit bona librorum et provisae frugis in annum
 110 copia, neu fluitem dubiae spe pendulus horae."
 111 Sed satis est orare Jovem quae ponit et aufert ;
 112 det vitam, det opes ; aequum mi animum ipse parabo.

E1_19 v.1 Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino,
 2 nulla placere diu nec vivere carmina possunt
 3 quae scribuntur aquae potioribus ; ut male sanos
 4 adscripsit Liber Satyris Faunisque poetas,
 5 vina fere dulces oluerunt mane Camenae ;
 6 laudibus arguitur vini vinosus Homerus ;
 7 Ennius ipse pater numquam nisi potus ad arma
 8 prosiluit dicenda. "Forum putealque Libonis
 9 mandabo siccis, adimam cantare severis" :
 10 hoc simul edixi, non cessavere poetae
 11 nocturno certare mero, putere diurno.
 12 Quid ? Siquis voltu torvo ferus et pede nudo
 13 exiguaeque togae simulet textore Catonem,
 14 virtutemne repraesentet moresque Catonis ?
 15 Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua
 16 dum studet urbanus tenditque disertus haberi.
 17 Decipit exemplar vitiis imitabile ; quodsi
 18 pallerem casu, biberent exsanguine cuminum.
 19 O imitatores, servom pecus, ut mihi saepe
 20 bilem, saepe jocosum vestri movere tumultus !
 21 Libera per vacuum posui vestigia princeps,
 22 non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidet,
 23 dux reget examen. Parios ego primus iambos
 24 ostendi Latio, numeros animosque secutus
 25 Archilochi, non res et agentia verba Lycamben ;
 26 ac ne me foliis ideo brevioribus ornes
 27 quod timui mutare modos et carminis artem,
 28 temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
 29 temperat Alcaeus, sed rebus et ordine dispar,
 30 nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris,
 31 nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.

32 Hunc ego, non alio dictum prius ore, Latinus
 33 volgavi fidicen ; juvat inmemorata ferentem
 34 ingenuis oculisque legi manibusque teneri.
 35 Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
 36 laudet ametque domi, premat extra limen iniquus ;
 37 non ego ventosae plebis suffragia venor
 38 inpensis cenarum et tritae munere vestis ;
 39 non ego nobilium scriptorum auditor et ultor
 40 grammaticas ambire tribus et pulpita dignor.
 41 Hinc illae lacrimae... "Spissis indigna theatris
 42 scripta pudet recitare et nugis addere pondus,"
 43 si dixi : "Rides" ait, "et Jovis auribus ista
 44 servas ; fidis enim manare poetica mella
 45 te solum, tibi pulcher." Ad haec ego naribus uti
 46 formido et, luctantis acuto ne secer ungui,
 47 "Displicet iste locus" clamo et diludia posco.
 48 Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
 49 ira truces inimicitias et funebre bellum.

E1_20 v.1 Vortumnum Janumque, liber, spectare videris,
 2 scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.
 3 Odisti clavis et grata sigilla pudico,
 4 paucis ostendi gemis et communia laudas,
 5 non ita nutritus. Fuge quo descendere gestis ;
 6 non erit emisso reditus tibi : "Quid miser egi ?
 7 quid volui ? " dices, ubi quid te laeserit ; et scis
 8 in breve te cogi, cum plenus languet amator.
 9 Quodsi non odio peccantis desipit augur,
 10 carus eris Romae donec te deserat aetas ;
 11 contrectatus ubi manibus sordescere volgi
 12 coeperis, aut tineas pasces taciturnus inertis
 13 aut fugies Uticam aut vinctus mitteris Ilerdam.
 14 Ridebit monitor non exauditus, ut ille
 15 qui male parentem in rupes protrusit asellum
 16 iratus ; quis enim invitum servare laboret ?
 17 Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
 18 occupet extremis in vicis balba senectus.
 19 Cum tibi sol tepidus pluris admoverit auris,
 20 me libertino natum patre et in tenui re
 21 majores pinnas nido extendisse loqueris,
 22 ut quantum generi demas, virtutibus addas ;
 23 me primis urbis belli placuisse domique,
 24 corporis exigui, praecanum, solibus aptum,
 25 irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
 26 Forte meum siquis te percontabitur aevum,
 27 me quater undenos sciat implevisse Decembris
 28 collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

E2_1 v.1 Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
 2 res Italas armis tuteris, moribus ornes,
 3 legibus emendes, in publica commoda peccem
 4 si longo sermone morer tua tempora, Caesar.
 5 Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux,

6 post ingentia facta deorum in templa recepti,
7 dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
8 componunt, agros adsignant, oppida condunt,
9 ploravere suis non respondere favorem
10 speratum meritis. Diram qui contudit hydram
11 notaque fatali portenta labore subegit,
12 comperit invidiam supremo fine domari.
13 Urit enim fulgore suo qui praegravat artes
14 infra se positas ; extinctus amabitur idem.
15 Praesenti tibi maturos largimur honores
16 jurandasque tuom per numen ponimus aras,
17 nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
18 Sed tuus hic populus sapiens et justus in uno
19 te nostris ducibus, te Graeis anteferendo
20 cetera nequaquam simili ratione modoque
21 aestimat et, nisi quae terris semota suisque
22 temporibus defuncta videt, fastidit et odit,
23 sic fautor veterum ut tabulas peccare vetantis,
24 quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
25 vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,
26 pontificum libros, annosa volumina vatum
27 dictitet Albano Musas in monte locutas.
28 Si, quia Graiorum sunt antiquissima quaeque
29 scripta vel optima, Romani pensantur eadem
30 scriptores trutina, non est quod multa loquamur :
31 nihil intra est oleam, nil extra est in nuce duri ;
32 venimus ad summum fortunae : pingimus atque
33 psallimus et luctamur Achivis doctius unctis.
34 Si meliora dies, ut vina, poemata reddit,
35 scire velim chartis pretium quotus adroget annus.
36 Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
37 perfectos veteresque referri debet an inter
38 vilis atque novos ? Excludat jurgia finis.
39 "Est vetus atque probus centum qui perficit annos."
40 Quid ? qui deperiit minor uno mense vel anno,
41 inter quos referendus erit ? veteresne poetas
42 an quos et praesens et postera respuat aetas ?
43 "Iste quidem veteres inter ponetur honeste
44 qui vel mense brevi vel toto est junior anno."
45 Utor permissio caudaeque pilos ut equinae
46 paulatim vello et demo unum, demo etiam unum,
47 dum cadat elusus ratione ruentis acervi
48 qui redit in fastos et virtutem aestimat annis
49 miraturque nihil, nisi quod Libitina sacrauit.
50 Ennius, et sapiens et fortis et alter Homerus,
51 ut critici dicunt, leviter curare videtur
52 quo promissa cadant et somnia Pythagorea.
53 Naeivus in manibus non est et mentibus haeret
54 paene recens ? Adeo sanctum est vetus omne poema.
55 Ambigitur quotiens uter utro sit prior, aufert
56 Pacuvius docti famam senis, Accius alti,
57 dicitur Afrani toga convenisse Menandro,
58 Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
59 vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.
60 Hos ediscit et hos arto stipata theatro
61 spectat Roma potens ; habet hos numeratque poetas
62 ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.
63 Interdum volgus rectum videt, est ubi peccat.

64 Si veteres ita miratur laudatque poetas
65 ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat ;
66 si quaedam nimis antique, si pleraque dure
67 dicere credit eos, ignave multa fatetur,
68 et sapit et mecum facit et Jove judicat aequo.
69 Non equidem insector delendave carmina Livi
70 esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
71 Orbilium dictare ; sed emendata videri
72 pulchraque et exactis minimum distantia miror.
73 Inter quae verbum emicuit si forte decorum,
74 si versus paulo concinnior unus et alter,
75 injuste totum ducit venditque poema.
76 Indignor quicquam reprehendi, non quia crasse
77 compositum inlepideve putetur, sed quia nuper,
78 nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posci.
79 Recte necne crocum floresque perambulet Attae
80 fabula si dubitem, clament periisse pudorem
81 cuncti paene patres, ea cum reprehendere coner
82 quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit,
83 vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt,
84 vel quia turpe putant parere minoribus et, quae
85 inberbes didicere, senes perdenda fateri.
86 Jam Saliare Numae carmen qui laudat, et illud
87 quod mecum ignorat solus volt scire videri,
88 ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
89 nostra sed inpugnat, nos nostraque lividus odit.
90 Quodsi tam Graecis novitas invisita fuisset
91 quam nobis, quid nunc esset vetus ? aut quid haberet
92 quod legeret terereturque viritim publicus usus ?
93 Ut primum positis nugari Graecia bellis
94 coepit et in vitium fortuna labier aequa,
95 nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum,
96 marmoris aut eboris fabros aut aeris amavit,
97 suspendit picta voltum mentemque tabella,
98 nunc tibicinibus, nunc est gavisita tragoedis ;
99 sub nutrice puella velut si luderet infans,
100 quod cupide petiit mature plena reliquit.
101 Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas ?
102 Hoc paces habuere bonae ventique secundi.
103 Romae dulce diu fuit et sollemne reclusa
104 mane domo vigilare, clienti promere jura,
105 cautos nominibus rectis expendere nummos,
106 majores audire, minori dicere per quae
107 crescere res posset, minui damnosa libido.
108 Mutavit mentem populus levis et calet uno
109 scribendi studio ; pueri patresque severi
110 fronde comas vincti cenant et carmina dictant.
111 Ipse ego, qui nullos me adfirmo scribere versus,
112 invenior Parthis mendacior et prius orto
113 sole vigil calamum et chartas et scrinia posco.
114 Navim agere ignarus navis timet ; habrotonum aegro
115 non audet nisi qui didicit dare ; quod medicorum est
116 promittunt medici ; tractant fabrilia fabri :
117 scribimus indocti doctique poemata passim.
118 Hic error tamen et levis haec insania quantas
119 virtutes habeat, sic collige : vatis avarus
120 non temere est animus ; versus amat, hoc studet unum ;
121 detrimenta, fugas servorum, incendia ridet ;

122 non fraudem socio puerove incogitat ullam
123 pupillo ; vivit siliquis et pane secundo ;
124 militiae quamquam piger et malus, utilis urbi,
125 si das hoc, parvis quoque rebus magna juvari.
126 Os tenerum pueri balbumque poeta figurat,
127 torquet ab obscenis jam nunc sermonibus aurem,
128 mox etiam pectus praeceptis format amicis,
129 asperitatis et invidiae corrector et irae,
130 recte facta refert, orientia tempora notis
131 instruit exemplis, inopem solatur et aegrum.
132 Castis cum pueris ignara puella mariti
133 disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset ?
134 Poscit opem chorus et praesentia numina sentit,
135 caelestis implorat aquas docta prece blandus,
136 avertit morbos, metuenda pericula pellit,
137 impetrat et pacem et locupletem frugibus annum ;
138 carmine di superi placantur, carmine Manes.
139 Agricolae prisca, fortes parvoque beati,
140 condita post frumenta levantes tempore festo
141 corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
142 cum sociis operum pueris et conjuge fida
143 tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
144 floribus et vino Genium memorem brevis aevi.
145 Fescennina per hunc inventa licentia morem
146 versibus alternis opprobria rustica fudit,
147 libertasque recurrentis accepta per annos
148 lusit amabiliter, donec jam saevus apertam
149 in rabiem coepit verti jocus et per honestas
150 ire domos impune minax. Doluere cruento
151 dente lacessiti, fuit intactis quoque cura
152 condicione super communi ; quin etiam lex
153 poenae lata, malo quae nollet carmine quemquam
154 describi ; vertere modum, formidine fustis
155 ad bene dicendum delectandumque redacti.
156 Graecia capta ferum victorem cepit et artes
157 intulit agresti Latio ; sic horridus ille
158 defluxit numerus Saturnius, et grave virus
159 munditiae pepulere ; sed in longum tamen aevum
160 manserunt hodieque manent vestigia ruris.
161 Serus enim Graecis admovit acumina chartis
162 et post Punica bella quietus quaerere coepit,
163 quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.
164 Temptavit quoque rem si digne vertere posset,
165 et placuit sibi, natura sublimis et acer ;
166 nam spirat tragicum satis et feliciter audet,
167 sed turpem putat inscite metuitque lituram.
168 Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
169 sudoris minimum, sed habet comoedia tanto
170 plus oneris, quanto veniae minus. Aspice, Plautus
171 quo pacto partis tutetur amantis ephebi,
172 ut patris attenti, lenonis ut insidiosus,
173 quantum sit Dossennus edacibus in parasitis,
174 quam non adstricto percurrat pulpita socco ;
175 gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
176 securus, cadat an recto stet fabula talo.
177 Quem tulit ad scaenam ventoso Gloria curru
178 exanimat lentus spectator, sedulus inflat ;
179 sic leve, sic parvum est animum quod laudis avarum

180 subruit aut reficit. Valeat res ludicra, si me
 181 palma negata macrum, donata reducit opimum.
 182 Saepe etiam audacem fugat hoc terretque poetam,
 183 quod numero plures, virtute et honore minores,
 184 indocti stolidique et depugnare parati
 185 si discordet eques, media inter carmina poscunt
 186 aut ursum aut pugiles ; his nam plebecula gaudet.
 187 Verum equitis quoque jam migravit ab aure voluptas
 188 omnis ad incertos oculos et gaudia vana.
 189 Quattuor aut pluris aulaea premuntur in horas
 190 dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae ;
 191 mox trahitur manibus regum fortuna retortis,
 192 esseda festinant, pilenta, petorrita, naves,
 193 captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
 194 Si foret in terris, rideret Democritus, seu
 195 diversum confusa genus panthera camelo
 196 sive elephans albus volgi converteret ora ;
 197 spectaret populum ludis attentius ipsis
 198 ut sibi praebentem nimio spectacula plura ;
 199 scriptores autem narrare putaret asello
 200 fabellam surdo. Nam quae pervincere voces
 201 evaluere sonum, referunt quem nostra theatra ?
 202 Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum,
 203 tanto cum strepitu ludi spectantur et artes
 204 divitiaeque peregrinae, quibus oblitus actor
 205 cum stetit in scaena, concurrat dextera laevae.
 206 Dixit adhuc aliquid ? Nil sane. Quid placet ergo ?
 207 Lana Tarentino violas imitata veneno.
 208 Ac ne forte putes me, quae facere ipse recusem,
 209 cum recte tractent alii, laudare maligne,
 210 ille per extentum funem mihi posse videtur
 211 ire poeta meum qui pectus inaniter angit,
 212 inritat, mulcet, falsis terroribus implet,
 213 ut magus, et modo me Thebis, modo ponit Athenis.
 214 Verum age et his, qui se lectori credere malunt
 215 quam spectatoris fastidia ferre superbi,
 216 curam redde brevem, si munus Apolline dignum
 217 vis complere libris et vatibus addere calcar,
 218 ut studio majore petant Helicon virentem.
 219 Multa quidem nobis facimus mala saepe poetae
 220 (ut vineta egomet caedam mea), cum tibi librum
 221 sollicito damus aut fesso ; cum laedimur, unum
 222 si quis amicorum est ausus reprehendere versum ;
 223 cum loca jam recitata revolvimus inrevocati ;
 224 cum lamentamur non apparere labores
 225 nostros et tenui deducta poemata filo ;
 226 cum speramus eo rem venturam ut, simul atque
 227 carmina rescieris non fingere, commodus ultro
 228 arcessas et egere vetes et scribere cogas.
 229 Sed tamen est operae pretium cognoscere qualis
 230 aedituos habeat belli spectata domique
 231 virtus, indigno non committenda poetae.
 232 Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
 233 Choerilos, incultis qui versibus et male natis
 234 rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos.
 235 Sed veluti tractata notam labemque remittunt
 236 atramenta, fere scriptores carmine foedo
 237 splendida facta linunt. Idem rex ille, poema

238 qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
 239 edicto vetuit nequis se praeter Apellen
 240 pingeret aut alius Lysippo duceret aera
 241 fortis Alexandri voltum simulantia. Quodsi
 242 iudicium subtile videndis artibus illud
 243 ad libros et ad haec Musarum dona vocares,
 244 Boeotum in crasso jurares aere natum.
 245 At neque dedecorant tua de se iudicia atque
 246 munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
 247 dilecti tibi Vergilius Variusque poetae,
 248 nec magis expressi voltus per aenea signa
 249 quam per vatis opus mores animique virorum
 250 clarorum apparent. Nec sermones ego mallet
 251 repentis per humum quam res componere gestas
 252 terrarumque situs et flumina dicere et arces
 253 montibus impositas et barbara regna tuisque
 254 auspiciis totum confecta duella per orbem,
 255 claustraque custodem pacis cohibentia Janum
 256 et formidatam Parthis te principe Romam,
 257 si, quantum cuperem, possem quoque ; sed neque parvum
 258 carmen majestas recipit tua, nec meus audet
 259 rem temptare pudor, quam vires ferre recusent.
 260 Sedulitas autem stulte quem diligit urget,
 261 praecipue cum se numeris commendat et arte ;
 262 discit enim citius meminitque libentius illud
 263 quod quis diridet quam quod probat et veneratur.
 264 Nil moror officium quod me gravat, ac neque ficto
 265 in pejus voltu proponi cereus usquam
 266 nec prave factis decorari versibus opto,
 267 ne rubeam pingui donatus munere et una
 268 cum scriptore meo capsula porrectus operta
 269 deferar in vicum vendentem tus et odores
 270 et piper et quicquid chartis amicitur ineptis.

E2_2 v.1 Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
 2 siquis forte velit puerum tibi vendere natum
 3 Tibure vel Gabiis et tecum sic agat : "Hic et
 4 candidus et talos a vertice pulcher ad imos
 5 fiet eritque tuus nummorum milibus octo,
 6 verna ministeriis ad nutus aptus erilis,
 7 litterulis Graecis inbutus, idoneus arti
 8 cuilibet ; argilla quidvis imitaberis uda ;
 9 quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti.
 10 Multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo
 11 laudat venalis qui volt extrudere merces.
 12 Res urget me nulla ; meo sum pauper in aere.
 13 Nemo hoc mangonum faceret tibi ; non temere a me
 14 quivis ferret idem. Semel hic cessavit et, ut fit,
 15 in scalis latuit metuens pendentis habenae" :
 16 des nummos, excepta nihil te si fuga laedit,
 17 ille ferat pretium poenae securus, opinor.
 18 Prudens emisti vitiosum, dicta tibi est lex ;
 19 insequeris tamen hunc et lite moraris iniqua ?
 20 Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
 21 talibus officiis prope mancum, ne mea saevos
 22 jurgares ad te quod epistula nulla rediret.
 23 Quid tum profeci, mecum facientia jura
 24 si tamen adtemptas ? Quereres super hoc etiam quod

25 expectata tibi non mittam carmina mendax.
26 Luculli miles collecta viatica multis
27 aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
28 perdiderat ; post hoc vehemens lupus, et sibi et hosti
29 iratus pariter, jejunis dentibus acer,
30 praesidium regale loco dejecit, ut aiunt,
31 summe munito et multarum divite rerum.
32 Clarus ob id factum donis ornatur honestis,
33 accipit et bis dena super sestertia nummum.
34 Forte sub hoc tempus castellum evertere praetor
35 nescio quod cupiens hortari coepit eundem
36 verbis quae timido quoque possent addere mentem ;
37 "I, bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto,
38 grandia laturus meritorum praemia. Quid stas ? "
39 Post haec ille catus, quantumvis rusticus : "Ibit,
40 ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit" inquit.
41 Romae nutriri mihi contigit atque doceri
42 iratus Grais quantum nocuisset Achilles.
43 Adjecere bonae paulo plus artis Athenae,
44 scilicet ut vellem curvo dinoscere rectum
45 atque inter silvas Academi quaerere verum.
46 Dura sed emovere loco me tempora grato
47 civilisque rudem belli tulit aestus in arma
48 Caesaris Augusti non responsura lacertis.
49 Unde simul primum me dimisere Philippi,
50 decisis humilem pinnis inopemque paterni
51 et laris et fundi paupertas impulit audax
52 ut versus facerem ; sed quod non desit habentem
53 quae poterunt umquam satis expurgare cicutae,
54 ni melius dormire putem quam scribere versus ?
55 Singula de nobis anni praedantur euntes ;
56 eripuerunt jocos, venerem, convivia, ludum ;
57 tendunt extorquere poemata ; quid faciam vis ?
58 Denique non omnes eadem mirantur amantque ;
59 carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,
60 ille Bioneis sermonibus et sale nigro.
61 Tres mihi convivae prope dissentire videntur,
62 poscentes vario multum diversa palato.
63 Quid dem ? Quid non dem ? Renuis quod tu, jubet alter ;
64 quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.
65 Praeter cetera me Romaene poemata censes
66 scribere posse inter tot curas totque labores ?
67 Hic sponsum vocat, hic auditum scripta, relictis
68 omnibus officiis ; cubat hic in colle Quirini,
69 hic extremo in Aventino, visendus uterque ;
70 intervalla vides humane commoda. "Verum
71 purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet."
72 Festinat calidus mulis gerulisque redemptor,
73 torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum,
74 tristia robustis luctantur funera plaustris,
75 hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus ;
76 i nunc et versus tecum meditare canoros.
77 Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbem,
78 rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra ;
79 tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
80 vis canere et contracta sequi vestigia vatium ?
81 Ingenium, sibi quod vacuas desumpsit Athenas
82 et studiis annos septem dedit insenuitque

83 libris et curis, statua taciturnius exit
84 plerumque et risu populum quatit : hic ego, rerum
85 fluctibus in mediis et tempestatibus urbis,
86 verba lyrae motura sonum conectere digner ?
87 Frater erat Romae consulti rhetor, ut alter
88 alterius sermone meros audiret honores,
89 Gracchus ut hic illi, foret huic ut Mucius ille.
90 Qui minus argutos vexat furor iste poetas ?
91 Carmina compono, hic elegos, "mirabile visu
92 caelatumque novem Musis opus." Aspice primum
93 quanto cum fastu, quanto molimine circum
94 spectemus vacuum Romanis vatibus aedem ;
95 mox etiam, si forte vacas, sequere et procul audi
96 quid ferat et qua re sibi nectat uterque coronam.
97 Caedimur et totidem plagis consumimus hostem,
98 lento Samnites ad lumina prima duello.
99 Discedo Alcaeus puncto illius ; ille meo quis ?
100 Quis nisi Callimachus ? Si plus adposcere visus,
101 fit Mimnermus et optivo cognomine crescit.
102 Multa fero ut placem genus inritabile vatum,
103 cum scribo et supplex populi suffragia capto ;
104 idem finitis studiis et mente recepta
105 opturem patulas impune legentibus auris.
106 Ridentur mala qui componunt carmina ; verum
107 gaudent scribentes et se venerantur et ultro,
108 si taceas, laudant quicquid scripsere beati.
109 At qui legitimum cupiet fecisse poema,
110 cum tabulis animum censoris sumet honesti ;
111 audebit, quaecumque parum splendoris habebunt
112 et sine pondere erunt et honore indigna ferentur,
113 verba movere loco, quamvis invita recedant
114 et versentur adhuc inter penetralia Vestae ;
115 obscurata diu populo bonus eruet atque
116 proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
117 quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis
118 nunc situs informis premit et deserta vetustas ;
119 adsciscet nova, quae genitor produxerit usus.
120 Vehemens et liquidus puroque simillimus amni
121 fundet opes Latiumque beabit divite lingua ;
122 luxuriantia compescet, nimis aspera sano
123 levabit cultu, virtute carentia tollet,
124 ludentis speciem dabit et torquebitur, ut qui
125 nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.
126 Praetulerim scriptor delirus inersque videri,
127 dum mea delectent mala me vel denique fallant,
128 quam sapere et ringi. Fuit haud ignobilis Argis,
129 qui se credebat miros audire tragoedos
130 in vacuo laetus sessor plausorque theatro,
131 cetera qui vitae servaret munia recto
132 more, bonus sane vicinus, amabilis hospes,
133 comis in uxorem, posset qui ignoscere servis
134 et signo laeso non insanire lagoenae,
135 posset qui rupem et puteum vitare patentem.
136 Hic ubi cognatorum opibus curisque reffectus
137 expulit elleboro morbum bilemque meraco
138 et redit ad sese : "Pol, me occidistis, amici,
139 non servastis" ait, "cui sic extorta voluptas
140 et demptus per vim mentis gratissimus error."

141 Nimirum sapere est abjectis utile nugis,
142 et tempestivum pueris concedere ludum,
143 ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
144 sed verae numerosque modosque ediscere vitae.
145 Quocirca mecum loquor haec tacitusque recordor :
146 "Si tibi nulla sitim finiret copia lymphae,
147 narrares medicis ; quod, quanto plura parasti,
148 tanto plura cupis, nulline faterier audes ?
149 Si volnus tibi monstrata radice vel herba
150 non fieret levius, fugeres radice vel herba
151 proficiente nihil curarier ; audieras, cui
152 rem di donarent, illi decedere pravam
153 stultitiam, et cum sis nihilo sapientior, ex quo
154 plenior es, tamen uteris monitoribus isdem ?
155 At si divitiae prudentem reddere possent,
156 si cupidum timidumque minus te, nempe ruberes,
157 viveret in terris te siquis avarior uno.
158 Si proprium est quod quis libra mercatus et aere est,
159 quaedam, si credis consultis, mancipat usus,
160 qui te pascit ager, tuus est, et vilicus Orbi,
161 cum segetes occat tibi mox frumenta daturas,
162 te dominum sentit. Das nummos, accipis uvam,
163 pullos, ova, cadum temeti ; nempe modo isto
164 paulatim mercaris agrum, fortasse trecentis
165 aut etiam supra nummorum milibus emptum.
166 Quid refert, vivas numerato nuper an olim ?
167 Emptor Aricini quoniam Veientis et arvi
168 emptum cenat holus, quamvis aliter putat, emptis
169 sub noctem gelidam lignis calefactat aenum,
170 sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
171 limitibus vicina refigit jurgia ; tamquam
172 sit proprium quicquam, puncto quod mobilis horae
173 nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc morte suprema
174 permutet dominos et cedat in altera jura.
175 Sic quia perpetuus nulli datur usus et heres
176 heredem alterius velut unda supervenit undam,
177 quid vici prosunt aut horrea ? Quidve Calabris
178 saltibus adjecti Lucani, si metit Orcus
179 grandia cum parvis, non exorabilis auro ?
180 Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
181 argentum, vestes Gaetulo murice tinctas
182 sunt qui non habeant, est qui non curat habere.
183 Cur alter fratrum cessare et ludere et ungui
184 praeferat Herodis palmetis pinguibus, alter
185 dives et inportunus ad umbram lucis ab ortu
186 silvestrem flammis et ferro mitiget agrum,
187 scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
188 naturae deus humanae, mortalis in unum
189 quodque caput, voltu mutabilis, albus et ater.
190 Utar et ex modico, quantum res poscet, acervo
191 tollam, nec metuam quid de me judicet heres,
192 quod non plura datis invenerit ; et tamen idem
193 scire volam quantum simplex hilarisque nepoti
194 discrepet et quantum discordet parcus avaro.
195 Distat enim, spargas tua prodigus an neque sumptum
196 invitus facias neque plura parare labores,
197 ac potius, puer ut festis Quinquatribus olim,
198 exiguo gratoque fruaris tempore raptim.

199 Pauperies inmundanda domus procul absit ; ego utrum
200 nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.
201 Non agimur tumidis velis Aquilone secundo ;
202 non tamen adversis aetatem ducimus Austris,
203 viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re
204 extremi primorum, extremis usque priores.
205 Non es avarus : abi. Quid ? cetera jam simul isto
206 cum vitio fugere ? caret tibi pectus inani
207 ambitione ? caret mortis formidine et ira ?
208 somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
209 nocturnos lemures portentaque Thessala rides ?
210 natalis grate numeras ? ignoscis amicis ?
211 lenior et melior fis accedente senecta ?
212 quid te exempta juvat spinis de pluribus una ?
213 Vivere si recte nescis, decede peritis.
214 Lusisti satis, edisti satis atque bibisti ;
215 tempus abire tibi est, ne potum largius aequo
216 rideat et pulset lasciva decentius aetas."